

dotes, & seniores. Non affecti, aut leuiter saltem cōpuncti sunt miserrimo hoc & horrendo spectaculo; sed quasi re benè gesta,

1. Sibi adhuc gratulantur, aut quasi extra culpam sint, se excusant, & absoluunt, culpamque omnem in Iudam transferunt, dicentes: *Quid ad nos? tu videris.*

2. Etsi ex hypocritica sanctitate pecuniam à proditore relatum horrent recipere, non emendantur tamen, nec à sanguinario suo proposito, licet Christus horrendo diuinæ vindictæ exemplo satis iam innocens fuisset declaratus, desistunt, sed pergunt, & pecunia illa agrum figuli emunt, in sepulturam peregrinorum, ac proprio insuper testimonio innocentiam Christi satis asserunt, suam autem culpam testantur, cum agrum illum figuli, sanguinis agrum nominarunt.

Tandem omnium horum euentuum ratio redditur, à summa causa, Prouidentia sc. diuina, ex testimonio Zachariæ Prophetæ comprobata.

Hæc summa est textus prælecti, in quo multæ, eæque perutilis, & necessariæ doctrinæ cōtinentur, sed quæ vna hora vel strictim indicari vix possunt. Nos præcipuas paucis perstringemus, quas facili studio prudens concionator vna, vel altera pro arbitrio retenta, amplificare poterit. Præcipuæ autem huius textus doctrinæ sunt hæ:

- I. *Nemo datâ operâ, sciens, aut volens, conscientiam suam malefactis grauare, aut in peccatis securè obdormire debet.*
- II. *Quomodo, qui in melancholiam, aut grauem animi mœrorem, & tentationem inciderunt, gerere se debeant.*
- III. *Nemo ex desperatione sibi ipsi manus inferre debet.*
- IV. *Bona, aut pecuniam illam, quam iniusto titulo quis possidet, abicere, & domino suo restituere debet.*
- V. *Longanimitas Dei, & patientia erga peccatores, si illa abutantur homines, tandem in grauem vindictam, & terribilem furorem terminari solet.*
- VI. *Cauenda est iracundia, seu vindictæ cupiditas, & Proditio.*

VII. Lo-